

consuetudie, promissione, necessitate Ministrorum, vel voto, nulla est obligatio, faciendi oblationes. P. König cit. l. n. 23. Pirhing ubi sup. an. 174. P. Wex de Decim. q. 10. n. 7. & 8.) sed ex spontanea voluntate; spectantque de Jure Communi regulariter ad Parochum per 212 cap. quia Sacerdotes 13. cap. Sanctorum 14. X. q. 1. Nisi ea intentione offerantur, ut v. g. ad ornamentum Ecclesie, Altaris, vel Imaginis (pro qua, si miraculosa sit, militat præsumptio) applicentur: eò quòd intentiones fidelium oporteat ad amissim adimplere cap. causa 13. de V. S. Barbosa de Off. Par. cap. 24. n. 30. Fagnanus in cap. pastoralis 9. de his, que sunt à Prælat. n. 29. Card. de Luca in Miscellan. Eccles. disc. 35. n. 7. Ex qua ratione concludit Pignatelli. tom. 8. consil. 143. n. 2. Oblationes, que fiunt novis Sacerdotibus, dum primum Sacrificium celebrant, ob præsumptam intentionem fidelium, ad ipsos pertinere.

## CAPUT IV.

## De Immunitate Ecclesiastica.

**P**ostremò loco reponitur inter Ecclesiastica Jura Immunitas Ecclesiastica, nonnullis equidem invisâ & exosâ & aris tantò fortius defendenda, quantò vehementius impugnata conspicitur. Est autem hæc Immunitas triplex, Localis, Personalis, & Realis. Triplici proin sectione tractabitur, critique

## SECTIO I.

## De Immunitate Locali.

## SUMMARIÆ.

1. Immunitatis Etymologia & descriptio. 2. & seqq. Recensentur actus, in locis sacris prohibiti. 6. Singulariter prohibetur violentia. 7. Datur contra eam servitium. 8. Seu locus refugii. 9. Reis. 10. & seq. Ad Ecclesiam confugiuntibus. 12. & seq. Quod neutiquam infirmum videri debet. 15. & seq. Hac Immunitas est antiquissima. 17. In Testamento Veteri fuit à DEO præcepta. 18. & seq. In Testamento Novofuit à S. Pontifice liberè assumpta. 21. Admittitur celebris Bulla Gregorii XIV. 22. Ostenditur, quòd in hac materia prævaleant SS. Canones. 23. & seq. Indagatur, utrum consuetudo possit eidem derogare? 28. & seq. Docetur, quòd materia Localis Immunitatis meretur largam interpretationem. 30. & seq. Immunitate gaudens Ecclesia. 35. Cæmeteria. 36. & seq. Monasteria. 39. Hospitalia & Oratoria publica. 40. Nonitem privata. 41. & seq. Palatia Episcoporum. 43. & seq. Augustissimum Altaris Sacramentum. 45. Non autem Altare portatile. 46. & seq. Immunitas conceditur reis seu debitoribus etiam in causa Civili. 48. & seq. Qualescunque fuerint. 50. & seq. Etiam excommunicatis & interdictis.
54. & seq. Etiam fugientes ex vinculis aut carcere. 57. & seq. Etiam vinciti, si traducantur per locum asyli. 59. & seq. Disceptatur, an etiam Clericis & Religiosis faveat? 67. & seq. Dissuadetur, utrum Gentilibus & Judæis proficiant. 69. & seq. Excluduntur ab asylo rei latrociniæ publici. 71. Viarum grassatores. 72. Depopulatores nocturni agrorum. 73. & seq. Assassinii. 76. Heretici. 77. & seq. Rei criminis lesa Majestatis adversus Principem. 80. & seq. Homicida proditorii. 84. & seq. Occidentes aut mutilantes in Ecclesiis vel cæmeteriis. 92. Alia crimina in Ecclesiis admittentes. 93. & seq. Recensentur effectus Immunitatis. 97. & seq. Reus ab alio, quàm Judice, violenter extractus ab asylo, nequit puniri. 98. & seq. Neque tunc coerceri valet, si Judice juxta promissionem Immunitatis aut dolere fuerit evocatus. 101. & seq. Aliud est, si fiat à tercio. 103. Nes potest extrahi cum cautione impunitatis. 104. & seq. Demonstratur modus in crimine excepto procedendi. 112. Recensentur pæna, in violatores Immunitatis statuta. 113. & seq. Agitur specialiter de pæna excommunicatiōnis.

## §. I.

## Quid sit Immunitas Localis?

**I**mmunitas generatim est exemptio seu libertas à munere vel onere communi l. qui ob 1. in pr. ff. de Jure Immunitatis. Speciatim Immunitas Ecclesiastica Localis est exemptio seu libertas à nonnullis actibus, qui in Loco, cui suffragatur Immunitas, exerceri prohibentur.

Hujusmodi actus sunt omnes profani & sæculares, & inprimis quidem Judicia Sæcularia, tam civilia quàm criminalia, que, si in locis DEO consecratis exercentur, nullius roboris esse declarantur in cap. ut in domibus 1. cap. cum Ecclesia 7. de Immunit. Eccles. cap. decet 2.

edd.

3. eod. in 6. Judicia vero Ecclesiastica (idem de Judiciis Sæcularibus seu potius de actibus Jurisdictionis voluntariæ concludit Ranbeck in Panoplia Immunitat. Eccles. disp. 4. cap. 4. §. un. n. 2.) licet non prohibeantur in Ecclesia, nec, si exercentur, sint irrita arg. cit. cap. decet in verb. Sæcularium & arg. cap. quâ fronte 25. de Appellat. artamen conventiunt omittuntur, ut notat P. Pirhing ad tit. de Immunit. num. 14.
4. Deinde contractus, negotiationes, mercaturæ, nundinæ & c. in Ecclesiis absque irreverentia nequeunt institui d. cap. decet 2. sic tamen, ut contractus, in Ecclesiis celebrati, sint tantum illiciti, non autem invalidi per cit. cap. decet, ubi sola judicia pronuntiantur nulla.
5. Rursum nec universitarum & collegiorum sæcularium congregationes in templis haberi, necludi theatrales exhiberi, nec choreæ vel cantus aut musica vana adornari, nec discursus aut confabulationes mundanæ misceri possunt d. cap. decet & cap. cantantes 1. Diff. 92. cap. cum decorem 12. de Vita & honest. Clericor.
6. Singulariter tamen in Locis Ecclesiasticis vetatur omnis vis & violentia, nec licet reos, illuc confugiētes, abstrahere. Quapropter in Ecclesiis datur malefactoribus Immunitas seu securitas, seu asyllum, germanicè Freyhait oder Freypung; &
7. Definitur, quòd sit prærogativa, quâ reis, ad Ecclesiam se conferentibus, præstatur securitas, quò minus vi & violentiâ possint extrahi.
8. Dixi I. prærogativa. Est enim asyllum seu Localis Immunitas speciale privilegium, tribuens securitatem publicam, & prohibens vim omnem, in Ecclesia usurpandam.

## §. II.

## Cujus Juris sit Immunitas Localis?

15. Origo Localis Immunitatis est antiquissima. Nam apud Hebræos Immunitate potiebatur Templum Jerosolymitanum. Exodi 21. v. 14. Nec non Altare & tabernaculum, veluti deducitur ex 3. Reg. cap. 2. v. 28. Quin etiam sex Civitates refugii erant constitutæ, ad quas licebat reus peccantibus se recitare, juxta num. 10. Gonzalez ad cap. secumpe 6. d. 1. n. 11. Apud Gentiles quoque concessum erat asyllum certis locis, veluti exemplò est templum misericordie, quod exerebat Hercules Thebanus; locus medius indidius inter collem & clivum Capitolinum, quem deputaverat Romulus; templum pacis, in quo securitatem dabant Romani. Gonzalez d. l. n. 12. P. Westner ad cit. tit. n. 11.
17. Oritur hinc questio: à quo Jure sumperit exordium Immunitas Localis? Optimè sentiunt, qui distinguunt inter Testamentum Vetus & Novum. In Testamento Veteri Templorum Immunitas erat immediatè sancita à DEO per textus, jam in n. 15. citatos. 18. In Testamento Novo Localis Immunitas pro Authoribus agnoscit Legislatores Ecclesiasticos per textus in cap. eos qui 6. Diff. 87. cap. minor 8. & seqq. XVII. q. 4. Quos imitati Legislatores Civiles eandem Immunitatem suis Legibus stabilivèrunt. Cod. de his, qui ad Eccles. confug. Nov. 17. cap. 7. Covarruv. d. lib. 2. Var. resol. cap. 20. n. 2. P. König ad tit. de Immunit. n. 2. P. Pirhing eod. tit. num. 15. Ratio est: 19. quia Lex Veteris Testamenti statuens Immunitatem, non erat Moralis, sed Naturalis: non enim prohibet Jus Naturæ, ne justitia vindicativa in loco sacro exercentur, sed, sicut est virtuosum, vindicare scelera; sic decentia loci sacri per se loquendò non est contrarium. Cùm ergo sit tantum Lex Cæremonialis vel Judicialis, unacum cæteris Legibus Veteribus expiravit, suamque vim obligandi de novo non accepit aliunde, quàm autoritate Ecclesiastica.
- Scio, quòd in Trid. Concil. sess. 25. de Refor. 20. mat. cap. 20. dicitur: Ecclesia, & personarum Ecclesiasticarum Immunitatem DEI ordinatione & Canonice sanctionibus confirmatam esse. Sed explicatur iste locus Tridentini, quòd per Immunitatem Ecclesiæ non intelligat Localem, sed Rea.



Reale, quatenus Ecclesie res ab omni Jurisdictione Sæcularium Jure Divino liberæ censentur.

21 De reliquo, cum præcipuæ autoritatis hodie sic Bulla Gregorii XIV. quæ incipit: cum aliis &c. placuit, eam hic apponere.

Cum aliis nonnulli Prædecessores nostri, & præsertim felic. record. Sixtus Papa V. nec non Pius etiam V. sancto zelo ducti, diversas facultates & indulgentias extrahendi, etiam in casibus quibusdam à jure non permissis, ex Ecclesiis criminosis, & delinquentes, compluribus Sæcularibus Principibus, eorumque Curis, & Magistratibus sub variis modis & formis concesserint, prout in illis plenius continentur.

§. I. Experientia postmodum docuit, tum ob diversitatem & differentiam hujusmodi indulgentiarum, tum quia plerique eorumdem Principum Ministrum, ex hoc ipso diversimode, etiam latius, quam par erat, & ad suum libitum interpretandi occasionem arripuerunt, illisque abuti cæperunt, subortam esse non mediocrem in aliquibus locis, libertatis & Immunitatis Ecclesiasticæ perturbationem, & confusionem: alibi vero ne ipsos quidem laicos indultis hujusmodi uti voluisse, aut potuisse, quod populo in veteratâ erga Ecclesias reverentia devotis & assuetis, scandali potius, quam quietis occasione præberent. Illud etiam absurdum sæpenumero scitum est, ut infra interduum conditionis Laici, nam modo Juris, sed etiam Literarum penitus ignari & imperiti, dum quasi potestates, & Ministri Curie Sæcularis in aliquo Castro, aut Oppidulo Jurisdictionem exercebant, facultatem & indultorum hujusmodi limites longè exeeserint, eaque suo arbitrio in sensus minus rectos & ab intentione concedentis omnino alienos detorserint & illorum prætexu, quidquid sibi in mentem venit, attentare præsumpserunt, in grave Jurisdictionis, & Immunitatis Ecclesiasticæ præjudicium, Locorum & Personarum Divino cultui dicatarum contemptum, ipsius Divinae Majestatis offensam, & scandalum plurimorum. Quare pro commissio nobis à Domino Pastoralis Officii munere, prædictis absurdis, & scandalis obviare, ac differentias hujusmodi ad uniformem regulam reducere, omnemque dubitandi, ac perpetuo interpretandi occasionem dilucida declaratione submovere, abusus tollere, & ne Ecclesiasticæ Jura plane conculerentur, & negligantur, opportune providere decrevimus, prout etiam dictus Sixtus V. Prædecessor noster fidei de causis motus, statueret decesserat, licet morte preventus, hoc adimplere nequiverit; ita tamen, ut quando præsens temporum calamitas, & nimia, quæ jam invaluit perverforum hominum malitia id exposcit, aliquid etiam ad terrorem delinquentium & ad coercenda eorum facinora, ultra id, quod prædicta illa Majorum nostrorum disciplina, & vetus Sacrorum Canonum norma præscripsit, at in quibusdam casibus, congrua moderatione adhibita, permittamus.

§. II. Hac itaque nostrâ perpetuò valiturâ Constitutione, omnia, & quacunquæ privilegia, indulgentias, & gratias, tam per dictum Sixtum V. quam alios quoscunque nostros Prædecessores, aut nosmet ipsos, Sedemque Apostolicam, ejusque Legatos, super abdicendis, vel exhibendis ab Ecclesiis, Monasteriis, Sacellis, Domibus Regularibus, Locisque sacris,

aut Religiosis, aliisque in casibus Jure permissis, hominibus certorum tum expressorum, vel non expressorum criminum reus, aut fraudulenti delictorum, & pro bono, pace, & quiete publica, & ex causis argentiſſimis ac necessariis, & æquivalentibus casibus in Jure expressis, atque ex paritate, identitate, aut majoritate rationis extensis, perpetuò, vel ad nondum elapsam tempus, quomodolibet concessa, etiam iteratis ac multiplicatis vicibus approbata, & innovata, ac usæ receptæ, literasque Apostolicas sub plumbo, aut in forma Brevis, seu aliâ quomodocunque desuper confectas, quarum tenores hic haberi volumus super expressis, ac ad verbum inseritis, sublata penitus omni differentia, ita ad unam tantum formam reducimus, & moderamus.

§. III. Ut Laici ad Ecclesias, Locaque sacra, & Religiosa prædicta conjugentibus, si fuerint publici Latrones, viarumque Grassatores, qui itinera frequentata, publicasque stratas obſident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur, aut Depopulatores agrorum, quive homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, earumque Cameteriis committere non verentur; aut qui proditorie proximum suum occiderint; aut assassini, vel hæresis, aut læsæ Majestatis, in personam ipsiusmodi Principis rei Immunitatis Ecclesiasticæ non suffragetur. Sed universis & singulis Venerabilibus Fratribus nostris, Patriarchis, Primatibus, Archi-Episcopis, Episcopis, Cæterisque Ecclesiarum, & Monasteriorum Prelatis, tam Sæcularibus, quam cujusvis Ordinis Regularibus, districtè præcipiendū mandamus, & præcipimus, ut Laicos in casibus prædictis delinquentes, ad eorum Ecclesias, Monasteria, Domos, & alia loca supra dicta sacra, seu Religiosa, respectu conjugentes, & in eis se recipientes, atque morantes, qui prædicta delicta, eorumque aliquodjudicio suo commississe, videbuntur, quando à Curia Sæculari fuerint requisiti, & quilibet eorum fuerit requisitus, Ministris, & Officialibus Curie Sæcularis absque irregularitatis nota aut alienius censura Ecclesiasticæ incursu, tradi & consignari curent, & faciant, & quilibet eorum curet, & faciat.

§. IV. Ne autem Curia Sæcularis Ministris prædicta facultate illos per se, & autoritate propria extrahendi, & abdicendi, sibi olim, ut præsertim, attributa, & per presentes revocata abstantur, Volumus, distique autoritate decernimus, & declaramus, ut Curia Sæcularis, ejusque Judices & Officialis, ab Ecclesiis, Monasteriis, Locisque sacris prædictis Laicum aliquem, ut præsertim, delinquentem, in nullo ex casibus supra dictis sine expressa licentia Episcopi, vel ejus Officialis, & cum interventu Persona Ecclesiasticæ ab eo autoritatem habentis, ad quos solos, & non alios Episcopos inferiores, etiam si alii Ordinarii sint, aut nullius Diocesis, aut Conſervatores, ab hac Sede specialiter vel generaliter deputati, prædictam licentiam dandi facultas pertineat (occurrente autem casu in loco exempto, & nullius Diocesis, tunc ad Episcopum viciniorem devolvatur hac cognitio & non ad alios) capere, extrahere, aut incarcerare non possint, nisi eo casu, quo ipse Episcopus, & dicta persona Ecclesiasticæ requisita, illos in delictis superius expressis culpabiles tradere, aut captura & carcerationi intervenire, & assistere recuſant,

sarint, tuncque reverentia Ecclesie, & Locis sacris debita memores, prædictis delinquentes, minori, quò id fieri poterit, scandalo, & tumultu extrahere curent.

§. V. Quodque delinquentes Laici prædicti postquam, ut præsertim, ab Ecclesiis, locisque extrahitis, & capti fuerint, ad carceres Curie Ecclesiasticæ reponi, & inibi sub tuto & firmo carcere, ac opportuna custodia, datâ illi, si opus fuerit, per Curiam Sæcularem detineri prædicta consignari, nec tradi possint, nisi cognitio prius per Episcopum seu ab eo deputatum, aut ipsi vero crimina superius expressa commiserint: tuncque demum de mandato Episcopi per Judicem Ecclesiasticum Curie Sæcularis, quacunque appellatione sepelita, consignentur.

§. VI. De crimine vero hæresis cognitio ad forum Ecclesiasticum tota pertineat, neque in ea Curia Sæcularis se quoquo modo intromittat.

§. VII. Sicuri etiam probemus, ne contra Ecclesiasticas personas, saculares, aut cujusvis Ordinis vel Militie, & S. Joannis Hierosolymitani Regulares, quoquo modo etiam vigore prædictorum privilegiorum, indultorum, aut concessionum, qua omnia ad terminos Juris, per presentes reducimus, procedant, aut se intromittant, illasve ab Ecclesiis, Monasteriis, Domibus, Locisque sacris, aut Religiosis, etiam in casibus in hac constitutione expressis extrahere, abdicere, capere, carcerare, aut cognoscere de criminibus, ad forum Ecclesiasticum pertinentibus, aliâ quâm de jure, & per privilegia eisdem Ordinibus, Militiis concessa permittitur, quomodolibet præsumant.

§. VIII. Ondè si quis quacunquæ dignitate, & autoritate prædictis, præmissorum, aut alio quovis prætexu quidquam præter, aut contra hujusmodi Constitutionis tenorem attentare præsumpserit, declaramus, eum ipso facta censuræ & penæ easdem incurere, quæ contra Libertatis, Juris, Immunitatis Ecclesiasticæ Violatores, per Sacros Canones, & Conciliorum Generalium, nostrorumque Prædecessorum Constitutiones sunt promulgata.

§. IX. Sicque per quoscunque Judices, Ordinarios, vel Delegates, etiam casuarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, sublatis eis, & eorum cuilibet quovis aliter judicandi, & interpretandi facultate, in quavis causa, & instantia judicari, & definituri debere; nec non irritum decernimus & inane, si secus super his per quoscunque quavis autoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. X. Non obstantibus præmissis tam Sixti, & Pii V. quam aliorum quorumcunque Prædecessorum nostrorum Literis Apostolicis, Privilegiis, indulgentiis, & facultatibus, quibusve per sonis, etiam Imperiali, Regia, Ducali, aut aliâ quavis dignitate, & autoritate fulgentibus, aut Rebus publicis, Dominiis, Regnis, Provinciis, Civitatibus, Terris, & Locis, eorumque Curis, Communitatibus, Universitatibus, Collegiis, aut Præſidentibus, Proregibus, & Gubernatoribus, Locatenentibus, Vicariis, Potestatibus, aliisque Magistratibus, Officialibus, Ministris, aut Consiliariis, ex prædictis, vel aliis etiam gravioribus, & urgentibus causis, tam illorum in initu & contemplatione, sive ad eorum preces, & instantiam, quam

etiam motu proprio, & ex certa scientia, deque Apostolica potestate plenitudine, ac per modum statuti, & legis perpetuæ, etiam in vim contrarius, & fratrum nostrorum Consilio, & quibuscunque tenoribus & formis, & cum quibusvis præſertim, restitutoris, mentis attestatoris, derogatoriæ derogatoris, aliisque validissimis, & efficacissimis, & insolutis clausulis, nec non irritantibus & aliis decretis, etiam sinibù caveatur expresse, quòd illi, nisi sub certis modis & formis, & nisi de expresso eorum consensu, ad quorum favorem concessa fuerint, derogari possint, & aliter facta derogationes nullius sint roboris, vel momenti, & aliâ quomodolibet concessa, & innovata. Quæ omnia, & singula, ac illorum tenores pro expressis habentes, quatenus præmissis in aliquo adveniantur aut plures, quim superius expressos casus contineant, autoritate & tenore præmissis omnino, ac perpetuo tollimus, & abrogamus, ac ad terminos præsentis Constitutionis quoad superius descripta duntaxat reducimus, & volumus, cuiquam de cætero suffragari, & quilibet alia dicta Sedis indulgentia generali, vel speciali, per qua præsentibus non expressis, vel ad verbum non insertis, effectus earum quomodolibet valeat impediri. Ut autem præsentis literæ &c. Datum Roma in Monte Quirinali 1591. Nonò Calendæ Junii, Pontificatus nostri anno primò.

Quæres I. an, si Jus Civile quoad punctum 22 Immunitatis Localis cum Jure Canonico non conveniat, hoc præ altero sit amplectendum? Resp. affirmativè. Ratio est: quia Immunitas Localis pertinet ad causas Ecclesiasticas, in quibus SS. Canones indubitatè prævalent LL. Civilibus per textum in cap. qua in 7. cap. Ecclesia 10. de Constitutione.

Quæres II. an consuetudo Immunitati Locali derogare possit?

Resp. Authores in hoc non esse concordés. Affirmant enim Layman & Barbosa, quos citat & sequitur P. Wiestner ad tit. de Immunit. Eccles. n. 36. Et videtur hæc affirmativa deduci ex dictis: nam hoc ipso, quòd Immunitas Localis Jure duntaxat humanò statuta fuerit, consuetudinem non abhorret per text. in cap. ult. de Consuet. Factum hinc, ut in pleris-que locis alyl, Ecclesiis Cathedralibus ad 40. & inferioribus ad 30. passus in cap. sic 6. cap. quisquis 21. cap. definitio 35. XVII. q. 4. concessum, per consuetudinem fuisse restrictum dicatur. Negant verò Sperellus & alii, quos refert & 27 probat Ranbeck cit. disp. 4. cap. 3. à n. 5. tum quia in Concilio Trid. (cui Bulla Urbani VIII. quæ incipit: Romanus Pontifex &c. consonat) in sess. 25. de Reform. cap. 20. in usum revocant antiquos Canones, Concilia generalia, & alias Sanctiones Apostolicas, in favorem Immunitatis Ecclesiasticæ contra violatores ejus editas: tum quia Gregor. XIV. in cit. fa. 26. inoffissima Bulla cum aliis &c. §. 9. Immunitatem ubique jubet æqualiter custodiri, ac prohibet, ne sub quovis prætexu præter aut contra suam constitutionem aliquid attentetur. Quæ 27 tamen argumenta posteriora probant ad summum, consuetudines, quæ Tridentinum Concilium, & relatas Summorum Pontificum confici.



constitutiones antecesserunt, non autem, quæ primùm subsecuta noscuntur, vel sequi poterunt, saltem immemorales, abrogatas fuisse. Quin etiam, cum Tridentinum & Bulla Urbani non loquantur de Immunitate Locali, sed Reali & Personali, non bene huc applicatur. Clariss. P. Schmalz, ad d. r. n. 100.

38 Quæres III. utrùm in quæstionibus dubiis circa Localem Immunitatem oporteat amplam vel strictam interpretationem amplecti?

Resp. quòd equidem Covarruv. Var. resol. lib. 2. cap. 20. n. 4. strictam interpretationem

commendet, ex ea ratione: quòd Immunitatis Localis extensio sit magis noxia quam proficua Reipublicæ; nihilominus interpretatio 29 lata prævalere videatur: partim quia Localis Immunitas habet fundamentum in Jure Divino, participat favorem causæ piæ, & principaliter in honorem DEI ac reverentiam sacrorum locorum est constituta: partim quia privilegia Summorum Principum, quibus adjuvatur, amplissimam cæteroque interpretationem merentur cap. cum dilecti 6. de Donat. l. beneficium 3. ff. de Conspir. Princip. P. Wiestner ubi supra n. 42. Schmalzgrueber n. 103.

## §. III.

## Quenam Loca gaudeant hac Immunitate?

30 Immunitate Locali gaudet I. Tempia, non tantùm si consecrata, sed etiam si non consecrata, Divino tamen cultui legitimâ autoritate sint destinata; nec tantùm si S. Eucharistia ibidem aservetur, aut Missæ jam celebrentur, sed etiam, si non aservetur, aut Missæ non fuerint celebrata, per textum in cap. Ecclesia 9. de Immunitate Eccles. ubi Gregorius IX. suam decisionem principaliter non fundat in celebratione, sed in destinatione: quia Ecclesia, ut loquitur, obsequiis Divinis dedicata, nullius

31 testis venerariis ausibus profananda. Et Ratio ulterior est: quia sola destinatio Ecclesiæ ad cultum Divinum elevat eandem ad dignitatem loci religiosi, eidemque omnia locorum religiosorum privilegia communicat cap. ad hac 4. de Religios. Dom. Covarruv. cit. cap. 20. num. 4. P. König ad cit. tit. de Immunit. num. 3.

32 P. Wiestner ibid. num. 47. Ex quaratione ulterius concluditur, etiam Ecclesiam interdicitam aut pollutam, cum adhuc maneat ex se deputata ad cultum Divinum, Immunitatis privilegio gaudere. Covarruv. d. cap. 20. num. 4.

33 Hic tamen non illud solum spatium Templi est accipiendum, in quo Sacrificia leguntur (sicut accipitur in casu, quòd pollutur Ecclesia) sed interior & exterior fabrica, cum sacristia, atrio, porticu, & ambitu; adeo ut & ille, qui attingit Ecclesiæ januam, aut ascendit in turrim, Immunitate potiarur cap. si quis contumax 20. cap. id constitutum 36. XVII. q. 4. l. pateant 3. in pr. Cod. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt &c. Ranbeck in Panoplia d. dist. 4. cap. 4. n. 5. & 14.

34 Pignatell. tom. 6. cons. ult. 4. n. 81. Quòd autem nonnulli majus adhuc intervallum, nempe 40. vel 30. passus per circuitum, pro termino Immunitatis statuunt juxta cap. sicut antiquitus 6. XVII. q. 4. id sic intelligendum existimat P. Wiestner ad tit. de Immunit. n. 56. quòd reus, qui semel ad Ecclesiam confugit, ad 40. vel 30. passus exire, nec tamen apprehendi possit arg. cap. deservit 35. ead. q. 4. non item, qui primùm ad Ecclesiam vult confugere.

35 II. gaudet Immunitate Locali Cæmeteria, legitimè erecta; sive contigua sint Ecclesiis, sive separata; sive benedicta sint, sive non, per rubricam & textum in cap. ult.

de Immunitate. Eccles. Cæmeterii &c. Ranbeck d. l. n. 15.

III. gaudet Immunitate Locali Monasteria, Domus, & Habitacula Religiosorum juxta d. Constitut. Gregorii XIV. quæ incipit: cum aliis &c. Sunt enim loca Religiosa arg. cap. ad hac 4. de Religios. Dom. & omnes Ecclesiarum piorumque locorum prærogativas obtinent per l. omnia privilegia 35. Cod. de Episcop. & Cleric. Ranbeck cit. l. n. 18. Nec tan-

37 tùm ad ipsa Religiosorum cubilia vel cubricula, sed etiam ad quascunque aedes, hortos, areas, intra Monasterii septa extantes, hæc Immunitas extenditur arg. cit. l. pateant 3. in pr. Cod. de his, qui ad Eccles. confug. & cap. frater 10. XVII. q. 4. Ranbeck d. l. n. 19. Extra 38 Monasterii septa non suffragatur Immunitas, etiam si ibidem sint hospitia, villæ, vel domus recreationum: cum neque religiosa sint ista loca, neque cum Religiosis continua vel contigua, prout contra Dianam & Rodriguez docent Barbofa f. E. U. lib. 2. cap. 3. n. 76. Reiffensuel ad tit. de Immunit. n. 46.

IV. gaudet Immunitate Locali tum Hospitalia, tum Oratoria publica, autoritate Episcopali condita: quippe quæ locis Religiosis accensentur, eorumque juribus fruuntur arg. cit. cap. ad hac 4. de Religios. Dom. & l. omnia 35. Cod. de Episcop. & Cleric. P. König ad tit. de Immunit. num. 6. & 7. Aliud tamen est de 40 Oratoriis privatis, in quibus licet ex privilegio concedatur Missæ celebratio, favor Immunitatis non reperitur. Ranbeck d. l. n. 1. & 2.

V. gaudet Immunitate Locali Palatia 41 Episcoporum, saltem si penes Ecclesiam Cathedrali intra 40. passus sint constructa, cap. id constitutum 36. XVII. q. 4. Quod, an etiam verificetur, si longius aut penitus ab Ecclesia Cathedrali sint sejuncta? Hæret 42 in dubio; Egidiò Ranbeck cit. l. n. 17. affirmante: eò quòd cit. cap. id constitutum non determinet certum spatium; P. König cit. l. n. 8. negante, ex ea ratione, quòd illud cap. nihil constituit novi, sed antiquos Canones innovet; sicque supponat, residendum Episcopalem non procul ab Ecclesia ædificatam esse, ad mentem cap. penult. Dist. 41.

Quæres I. an Immunitate Locali gaudeat 43 Augu-

Augustissimum Altaris Sacramentum, adeo ut confugiens ad illud, quando portatur ad ægrotum, vel circumfertur in processione, nequeat abstrahi?

44 Resp. in placitum affirmans concedere plures cum Panormitano ad cap. sanè 10. de Celebrat. Miss. num. 1. & seq. Sperello fori Eccles. de eis. 44. n. 6. Ranbeck cit. l. n. 20. Engel ad tit. de Immunit. n. 12. Wiestner ib. n. 64. ac consuetudinem allegare. Textum concludentem equidem adducere nequeunt; absurdum tamen existimant, ut, cum locus alius intuitu sacrosancti Sacramenti gaudeat Immunitate, ipsimet Venerabili Sacramento ea prærogativa negetur.

Quæres II. utrùm Altare portatile gaudeat 45 Immunitate?

Resp. cum P. Wiestner cit. l. num. 67. negativè. Ratio est: quia, tamen si in cap. si quis 1. de Homicid. mentio fiat altaris; non tamen aliud, quàm fixum intelligitur: huic enim quàm illi major debetur honor & reverentia, utpote cum habeat connexionem cum Ecclesia. Alioquin deberemus etiam Calici, Patenæ, & quibuscunque vasis consecratis Immunitatem adstruere; quod nescio, an in Jure fundatum sit. Videatur Clarissimus P. Schmalzgrueber ad tit. de Immunit. num. 48. qui etiam in n. 150. concludit, crucibus, extra loca sacra erectis, asylum non competere.

## §. IV.

## Quenam Persona gaudeant Immunitate Locali?

46 Immunitate Locali gaudet personæ quæcunque, tam ex causa criminali quàm civili gravatæ per textum in cap. si quis contumax 20. XVII. q. 4. cap. inter alia 6. de Immunit. Eccles. l. Judæi 1. l. presentis 6. in pr. & seq. Cod. de his, qui ad Eccles. confug. Panormit. in cit. cap. inter alia n. 12. Covarruv. Var. resol. d. lib. 2. cap. 20. num. 14. Barbofa f. E. U. lib. 2. cap. 3. n. 46. Ranbeck cit. dist. 4. cap. 5. n. 2.

47 Nec regeas cum Jafone. Immunitatem pro reus, hoc est, delinquentibus concessam, indulgentiam non esse debitoribus, ne creditores jure suo fraudentur. Nam reorum nomine veniunt etiam debitoribus civiles per cap. forus 10. de P. S. creditoribus verò non imminet periculum fraudationis: cum debitores citari possint, ac, si neque per se neque per procuratorem comparere, & causam dicere velint, immisionem in possessionem bonorum sufferre teneantur. Abbas cit. l. n. 22.

48 Hæcque doctrina quoad debitores eousque dilatur, ut nihil interfit I. sinte debitor ex causa publica, vel ex causa privata: nam etiam debitores tributorum, nec non obligati ad ratiociniam, defenduntur a syllo: quippe cum nullibi reperiantur exclusi. Covarruv. cit. cap. 10. n. 14. Nec interfit II. an quis ex casu, culpa, vel dolò facultates suas amiserit aut dilapidaverit, ac impotem ad solvendum se fecerit: nam etiam debitores fallitos seu bancarotos, ut vocant, ad asylum recipiendos esse, tradit ex declaratione Bullæ Gregorianæ Fagnanus ad cap. inter 6. de Immunit. n. 58. Nec enim detrimentum, quod inferunt Reipublicæ, se solò est sufficiens causa, Immunitatem amittendi, nisi insuper expressa lex vel constitutio accesserit. Dissentit Ranbeck cit. l. n. 5.

49 Cæterum aliqui cum Felino ad cap. à nobis 2. de Exception. n. 5. excludunt I. excommunicatos & interdictos: eò quòd illis communicatio cum fidelibus; his autem ingressus in Ecclesiam sit prohibitus. Sed & istos ad asylum admittendos esse, defendunt Sylvester, Clarus, Wiestner ad tit. de Immunit. n. 28.

Reiffensuel ib. n. 55. nam censura quæcunque, saltem in causa criminali, non obligat censuratos ad declinandum asylum, propter regulam generalem, vi cuius humana Lex cum vitæ & membrorum periculo non obligat. Deinde excommunicatio & interdictum non tantum prohibent communicationem & ingressum Ecclesiæ materialem, quàm formalem. Rursus interdictum prohibet solum ingressum 3 Ecclesiæ quoad partem anteriorem, ubi peraguntur Divina; non quoad partes exteriores, ambitum, porticum, atrium &c.

II. docet Gregorius Tholosanus, reos, à 54 seculari potestate jam semel apprehensos, sed capti fuga vel disruptò carcere rursus in libertatem assertos, ad asylum recipi non posse, sed restitui debere potestati seculari, quam suâ possessione spoliaverunt; itaque in Gallia prædicari. Sed communis sententia & 55 aliarum provinciarum consuetudo refragatur: nam fuga ex carcere aut solutio vinculo- rum, cum juxta plurimos sit licita, non efficit, ut aliquis in crimine, non exceptò, fiat indignus Immunitate. Panormitan. ad cit. cap. inter 6. de Immunit. num. 32. Covarruv. d. cap. 20. n. 13.

Nec potest hic applicari 56 regula spoliatorum: cum ex cap. literas 13. de Restit. spoliar. notum sit, restitutionem locum non habere, quando versatur periculum corporis aut animæ, sicut hic.

III. asserit Covarruv. d. l. n. 13. quòd, si li- 57 stores & carnicenses reum ducant per Ecclesiam vel cæmeterium, & is egredi recuset, ad asylum provocans, à licitoribus aut carnificibus abstrahi possit; quasi nempe, cum ad Ecclesiam non confugerit, sed casu illuc delatus fuerit, non debeat ad Ecclesiam admitti. Nihilominus altera sententia, cui subscribit 58 Fagnanus in d. cap. inter n. 86. est longè conformior Juri Communi: quando quidem in. cap. deservit 35. XVIII. q. 4. disjunctivè prohibetur, ut nullus antea confugiens ad Ecclesiam vel residentes inde abstrahere: perinde siquidem in uno & altero casu exercetur violentia, sanctitati loci contraria.

N n n 2

Disce-



59 Disceptatur I. num Clerici & Religiosi extra casus exceptos Immunitate Locali defenduntur?

Triplicem hic opinionem invenio. Prima negat absolutè defensionem. Ita Panormit. in cap. inter alia n. 13. Sylvester de immunitas num. 17. Ranbeck cit. cap. 5. §. 2. n. 31. & seqq. Haunold de f. & f. tr. 1. n. 168. Wiestner 60 cit. l. n. 95. & seqq.

Secunda affirmat absolutè. Ita Clarus pract. criminal. §. fin. q. 30. num. 16. Fagnanus in d. cap. inter alia à n. 78. Barbosa ibid. à n. 16. Pirhing ad tit. de Immu-

61 tit. n. 35. Tertia distinguit, ac Clericos, non verò Religiosos, Immunitate defendi contendit. Ita cum Rodriguez & Portel. P. Reiffensuel ad tit. de Immunit. n. 62. & seqq. & n. 72. & seqq. In tanta opinionum discrepantia

62 Sentio I. cum P. König ad tit. de Immunit. num. 11. Clericos & Religiosos delictum, ob quod degradari & Curie seculari possunt extradi, committentes, Immunitate Locali defendi. Itaque accipio Declarações Cardinalium, quas refert Pignatell. tom. 6. con-

63 sult. 4. n. 101. & n. 110. Neque enim Clerici & Religiosi, esto profiteantur statum perfectiorem, deterioris sunt conditionis, quam laici; nec debent privari, sed potius adjuvari defensione Ecclesie, cujus speciales ministros & servos sese commonstrant.

64 Sentio II. Clericos & Religiosos in ceteris casibus & delictis, in quibus à Superiore Ecclesiastico puniuntur, Immunitate Locali non

§. V.

Quenam delicta Localem Immunitatem prohibeant?

65 Cum nonnulla delicta sint atrociora, magisque Republice perniciofa, faciunt, ut delinquentibus Immunitas Localis non auxilietur. Tale est I. latrocinium publicum, seu homicidium, in via vel loco publico, prædæ gratiæ sæpius admittum per textus in cap. sicut antiquitus 6. X<sup>o</sup> l. q. 4. cap. inter 6. de Immunit.

70 Quod si quis in loco privato homines occiderit, aut semel tantum vel bis in loco publico, non denegatur asylum: cum latro publicus non censetur arg. Bullæ Gregor. cum aliis §. 3. Reiffensuel ad cit. tit. n. 91. & seqq.

71 II. viarum grassatio, hoc est, obfessio seu pervagatio viarum publicarum, eâ mente ac intentione, ut transientes & viatores rebus, quas habent, spoliarent d. cap. inter 6. & d. Bulla Gregor. cum aliis §. 2.

72 III. nocturna depopulatio agrorum, quâ tempore nocturno segetes agrorum aut vindemiæ quovis animo & sine destruantur, devastantur, incenduntur d. cap. inter & Bulla Gregor. §. 3. postquam Bullam Ranbeck cit. l. cap. 5. n. 9. & alii etiam depopulationem diurnam ab asylo excipiunt: cum in memorata Bulla pericula nocturna sit omiffa, & depopulatio simpliciter posita.

defendi. Ratio est: partim quia processus contra Clericos & Religiosos delinquentes in ipsâ Ecclesia formari potest per cap. ult. l. q. 2. cap. decet 2. in verb. facularium judiciorum strepitibus de Immunit. Eccles. in 6. partim quia in 65 tra fines Ecclesie possunt corrigi, castigari, incarcerari per textus in cap. ult. de Regular. cap. non solum 2. eod. in 6. cap. uniusversalis 24. de Sent. excommunicat. partim quia ceteroquin 66 excessus & delicta Clericorum & Religiosorum, cum plerumque versentur in loco asyli, raro vel nunquam cum effectu puniri valeant, cum ingenti dispendio disciplinæ & Republice Ecclesiasticæ.

Disceptatur II. num infideles, Judæi, & 67 pagani gaudeant Immunitate Locali?

Rursus hic triplex occurrit sententia, negantium cum Panormit. in d. cap. inter alia n. 6. Covarruvia d. cap. 20. num. 11. affirmantium cum Barbosa ad cit. cap. n. 50. & Fagnano ib. num. 60. distinguentium cum P. Wiestner ad tit. de Immunit. n. 76. & seqq. Cum quo 68 posteriori etiam distinguo, num infideles, ad Ecclesiam confugientes, velint se convertere ad fidem, nec ne. Priori siquidem casu recipiuntur ad asylum: non item in posteriori per textum in l. Judæi 1. Cod. de his qui ad Eccles. confug. qui, cum nihil disponat contra sanctiones Canonicas, imò non obscure sit canonizatus in cap. inter alia 6. in pr. de Immunit. eò rectius applicatur ad decisionem quæstionis, quòd Ecclesia non habeat curam ad defensionem eorum, qui sunt extra gremium illius arg. textus Apostolici 1. ad Corinth. 5.

73 IV. assassinium, quòd unus alterum pecunia vel aliâ re, pretio æstimabili, conducit ad occidendum tertium juxta cit. Bullam Gregor. §. 3. Ubi tamen à plerisque desideratur 1. mò, ut mors ipsa sequatur, nec sufficiat, lethaler vulnerasse; quamvis aliquando ad incurrendas pœnas, in assassinos constitutas, mors ipsa non exposcatur cap. pro humani 1. de Homicid. in 6. 2. dò, ut pretium vel res 74 certa in præmium occisionis sit statuta vel promissa arg. l. triticum 94. ff. de P. O. ubi promissio rei incertæ nullius roboris declaratur. 3. tìd, ut occisus non sit inimicus occidentis 75 quæ tamen conditio nec textu nec ratione probatur: utpote cum ad crimen assassinii nihil intersit, amicum an inimicum quis interficiat arg. cit. cap. pro humani. Videantur Pignatell. tom. 9. consulti. 43. n. 9. 11. & 15. Reiffensuel ad cit. tit. à n. 120.

V. hæresis juxta sæpe cit. Bullam §. 3. & juxta 67 Barbosa f. E. l. lib. 2. cap. 2. num. 124. valde probabiliter hæreticorum receptio, defensio, vel occultatio; sic tamen, ut, si hæretici ex alia causa, quam hæreses, v. g. adulterio vel simili crimine, specialiter non exceptò, asylum querant, præsertim in Germania, repellii

repelli nequeant. P. Wiestner ad d. tit. num. 123.

77 VI. crimen læsæ Majestatis, si juxta cit. Bullam §. 3. in personam ipsius Principis fuerit commissum: adeoque solus ille ob crimen læsæ Majestatis excluditur ab asylo, qui personam ipsius Principis, non item illius Consiliarios, Ministros, Legatos, aut Vicarios

78 offendit. Tametsi enim in l. quisque 5. in pr. Cod. ad l. Ful. Majest. Consiliarii dicantur esse pars corporis Principis; ex eo tamen solummodo convincitur, crimen læsæ Majestatis in ipsos quoque committi; nequaquam verò deducitur, propterea quem asylo privari, quòd Consiliarium Principis læserit: cum in d. Bulla ipsa Principis persona exprimitur. Barbosa ad cap. inter n. 10. Reiffensuel ad cit. tit. n. 147.

79 Nominè Principis autem de Jure Communi intelligitur Summus, videlicet Papa, Imperator, Reges, Respublicæ liberæ; sed de moribus hodiernis intelliguntur etiam Electores, Principes, & Status Imperii. P. Wiestner ad cit. tit. num. 127.

80 VII. homicidium proditorium; per quod nolim intelligi cum Fachineo lib. 9. controvers. cap. 93. quovis homicidium voluntarium, ex proposito commissum; nec etiam cum Covarruvia d. cap. 20. num. 7. velim intelligi homicidium voluntarium, per insidias à tergo vel in tenebris perpetratum; sed homicidium, ab amico, vel homine, ad amicitiam aut fidelitatem specialiter obligato, vel ab inimico sub specie ac colore amicitie perpetratum. Ita, restante P. Reiffensuel d. l. num. 116. tenet communissima & quasi-certa sententia, multis declarationibus S. Congregationis, quas videre licet apud Pignatellum tom. 9. consulti. 18. roborata. Siquidem proditio suapte naturâ supponit specialem obligationem fidelitatis aut amicitie, vel saltem fictionem ac speciem amicitie, veluti colligitur ex l. cujusque 4. ff. ad l. Ful. Majest. l. capitulum 28. §. 11. ff. de Pen. l. omne 6. §. 4. l. proditores 7. ff. de Re milit. l. servum 6. Cod. de

81 Delatorib. Ideoque tunc homicidium proditorium admitti censetur, quando liberi suos parentes, aut parentes suos liberos; item quando conjux conjugem, caupo hospitem, famulus dominum &c. occidit; non item quando aliquis ex ira, indignatione, rancore alium, nil mali suspicantem, ex insperato aggreditur. Pignatell. cit. l. n. 1. à 31. 35.

82 Nec obloquitur cap. si quis 1. de Homicid. ubi ponitur textus ex libro Exodi, & decernitur: si quis per industriam occiderit proximum suum & per insidias, ab altari meo evelles eum, ut moriatur. Illud enim verò per cit. Bullam Gregorianam aut correctum, aut declaratum est, ut non denotet insidias qualescunque, sed sub velo vel contra obligationem specialis amicitie paratas.

83 VIII. homicidium, vel etiam mutilatio, seu amputatio partis corporis, ad principalem

functionem aliquam à natura destinata v. g. manûs, pedis, oculi, &c. si fiat in Ecclesia, cæmeterio, vel alio loco, jus asyli habente per textum in cap. ult. de Immunit. & sæpe cit. Bull. Gregor. §. 3. Sic tamen, ut spe immunitatis quis occidat aut mutilet, prout indubio præsumitur per d. cap. ult. Ranbeck ubi supra cap. 5. num. 12.

Idque ampliatur 1. 85 ut, qui, extra Ecclesiam stans, alium, in Ecclesia existentem, occidit aut mutilat, globò sagittâ, vel lapide, cum reverâ delictum in Ecclesia consummet, Immunitate non defendatur. Covarruv. sæpe cit. cap. 20. num. 15.

Ampliatur II. ut juxta cit. Covarruviam, Pa- 86 normitan. ad d. cap. num. 11. Pirhing ad eand. tit. num. 25. Immunitate interdicitur, qui, stans in Ecclesia, alium, extra Ecclesiam constitutum, occidit vel mutilat: quippe cum delicti causam in ipsâ ponat Ecclesia, & quidem juxta prudentem conjecturam sub spe Immunitatis: nihil dicendò, quòd locus de 87 licitè cenleatur non tantum, ubi delictum est consummatum, sed etiam ubi inchoatum est l. quæstiones 1. Cod. ubi de Criminib. Dissentit post alios Haunold de f. & f. tom. 6. tract. 1. num. 207.

Ampliatur III. cum cit. Pa- 88 normit. num. 12. Reiffensuel n. 103. & t. 18. ut Immunitate careat, qui mandatum dedit in Ecclesia, ut alius intra vel extra Ecclesiam occidatur, aut mutiletur arg. cap. perniciosè 23. de Penit. Dist. 1. cap. malitiosè 6. §. illi vero cap. ut fama 35. §. laici de Sentent. excommunicat. cum in effectu mandanti delictum adscribitur; licet rursus dissentiat Haunold d. l. 89 num. 210. eique consentiat P. Wiestner ad cit. tit. num. 118. eâ persuasus ratione, quòd mandans homicidium vel mutilationem tantum in sensu lato dicatur occidere vel mutilare: quæ tamen he non movet, sed potius ea mihi inest opinio, mandantem esse veram & moralem delicti causam, sine cujus influxu vel motu delictum non ponitur; sicque mandantem in sensu stricto ad homicidium vel mutilationem concurrere. Amplia- 90

tur IV. à Covarruv. d. l. num. 15. ut ab Immunitate arceatur, qui propè Ecclesiam in porticu vel atrio mutilat aut occidit, & postea se confert in Ecclesiam: quoniam, quæ propè Ecclesiam sunt, in ipsâ Ecclesia fieri censentur arg. cap. sicut antiquitus 6. cap. si quis 7. XVII. q. 4. Verum melius hanc ampliationem restrin- 91

gunt Panormitan. ad cap. inter 6. de Immunit. num. 17. Pignatell. tom. 6. consulti. 41. num. 5. Barbosa d. l. n. 117. quare ipsa non censetur in Ecclesia consistere, qui stat propè Ecclesiam in materia favorabili, quando agitur de extendenda Locali Immunitate, loca, Ecclesie coherentia, nomine ipsius Ecclesie comprehendantur. ex n. 33.

Petes: num Immunitate Locali fruatur, qui crimen aliud v. g. adulterium aut stuprum in Ecclesia cum spe securitatis admittit? Resp. affirmat. Ratio est: tum quia Gre-

N n n 3



Gregorius IX. in d. cap. ult. tantum exprimit homicidium & mutilationem, & sub ly excessum non alios, quam ibidem expres-

fos intelligit: tum qui Gregorius XIV. in sua Bulla similiter tantum mentionem facit de homicidio & mutilatione.

§. VI.

Quis effectus, & quanam sit prerogativa Localis Immunitatis?

93 **E**ffectus Immunitatis Localis spectatur in prerogativis, quae concessae sunt illis, quibus Immunitas Ecclesiastica patrocinatur. I. scilicet tenentur Rectores locorum, asyli jus habentium, reos, illuc confugientes, recipere; nec possunt illos absque injuria excludere vel repellere d. cap. inter 6. de Immunit. l. fidei 2. l. pateant 3. in pr. Cod. de his, qui ad Eccles. 94 **confug.** II. tenentur Ecclesia reum, in asylo receptum, alere, si bona propria non habeat, nec ab amicis habere possit, ut notant Panormitan. ad cit. cap. n. 28. Sylvester verb. Immunitas 3. q. 3. Ranbeck d. disp. 4. cap. 5. num. 43. nam & alias Ecclesia tenetur sustentare pauperes, illos maxime, quibus aliunde nulla suppetunt vitae subsidia: quamquam dubio procul rei vicissim sint obligati. Ecclesiae sua interim servitia praestare, quatenus favorem & beneficium, ab Ecclesia acceptum, aliquatenus compensent. Reiffenstuel cit. l. num. 158.

95 **III.** nemo potest impedire vel prohibere, ne reo deferantur vestimenta, victus, potus, & alia necessaria ad locum asyli l. praesenti 6. in pr. Cod. d. t. Quin etiam impedire nemini licet, quod minus ex causa necessitatis extra locum asyli se conferat, cessante necessitate mox reversurus, ut indicatur in cap. definitum 13.

96 **XVII.** q. 4. IV. quamdiu reus in asylo commoratur, nec vinculis constringi, nec in carcerari, nec extrahi, nec ad mortem aliamve poenam gravem corporalem, v. g. mutilationem, fustigationem, exilium &c. condemnari potest d. cap. definitum 35. & seq. cap. reum 9. ead. quaest. 4. cap. inter 6. d. t. d. l. praesenti 6. in princ. Sed hic

97 **Dubitatur I.** an, si reus violenter, aut ex gravi metu ab alio, quam Judice, sine ipsius mandato, fuerit extractus ab asylo, possit ab eodem Judice apprehendi?

Resp. cum P. Wiestner ad d. t. n. 136. negativè. Ratio est: quia, si Judex reum extraheret, non posset eundem apprehendere. Ergo neque tunc apprehendere potest, quando extrahitur ab alio: cum in constitutione Gregoriana irritum ac nullum declaretur, quidquid à quocumque contra constitutos in asylo attentabitur.

98 **Nec obstat cap. id constitutum 36. ead. q. 4.** ubi dicitur, quod, si reus, timore adactus, ab Ecclesia discesserit, à Clericis non fit requirendus; intelligitur enim de reo, qui ex timore infrinsecò, non autem ab extrinsecò seu ab homine injustè incusso, recessit ab Ecclesia.

99 **Dubitatur II.** an, si Judex sub promissione impunitatis reum ex asylo revocaverit, possit in eum animadvertere?

Resp. negativè. Ita Farinaceus in appendice de Immunitate cap. 19. n. 31. Barbosa d. cap. 3.

num. 54. Engel d. tit. sub num. 20. Ratio est: quia Judex non potest salvà justitià alterum decipere, vel fidem antecederet datam violare: adeoque non potest apprehendere reum, vel in ipsum animadvertere: cum impunitatem antea promiserit. Id ipsum docent Pignatell. tom. 1. consultat. 100. num. 4. Haunold tom. 6. tract. 1. n. 249. & alii, quando Judex, citra promissionem, dolis aut mendaciis reum ad derelinquendum asyllum induxit: quippe cum Judicis auctoritati aequè repugnet, dolose aliquem inducere, ac falsò aliquid promittere: eò quod dolus à nemine quam Judicis & personis publicis longius exulare debeat. Aliud verò docent idem

Autores cum P. Pirhing ad d. t. n. 42. quando vel tertius aliquis reum dolosis persuasionibus abstraxit ab asylo, vel Judex ipse sine dolo & mendacio ad exeundum permovit: quia tunc Judex injuriam non committit; & reus suae facilitati debet imputare, quod alienis persuasionibus assensum dederit.

Dubitatur III. an reus, ad asyllum confugiens, possit à Rectoribus asyli Curiae Seculari extradi, recepta prius cautione de impunitate?

Resp. de Jure antiquo potuisse reum sic extrahi per text. in cap. reum 9. cap. id constitutum 36. XVII. 4. cap. inter 6. d. t. Sed de Jure moderno propter Bullam Gregorii XIV §. 1. id negari à Farinaceo & multis, quos citat & sequuntur Wiestner num. 141. & Reiffenstuel num. 178. cum in dicta Bulla tantum permittatur extraditio, quando reus consentit.

Dubitatur IV. quomodo procedendum sit, quando crimen, ob quod reus ad asyllum confugit, est exceptum?

Resp. I. quando est notorium, crimen exceptum esse, teneri Praelatos & Rectores locorum, quibus competit Immunitas, reum Curiae Seculari requirenti extradere, irrogata Episcopi licentia per text. in cap. inter 6. h. t. & cit. Constat. Gregor. §. 7. Verum extrahitur a Potestate Seculari cum violentia non potest, sine praehabita Episcopi vel saltem Vicarii Generalis licentia; nisi forte Episcopus injustè recuset extraditionem, prout clarè statutum est in eadem Bulla. §. 4.

Resp. II. quando dubitatur, num reus criminis, ab Immunitate exceptum, commiserit, illius discepcionem privatè ad forum Ecclesiasticum pertinere. Ita Barbosa d. lib. 2. cap. 3. num. 154. & plerique DD. per textum in cap. ad Episcopos 11. cap. metuentes. 32. XVII. q. 4. Ratio est: tum quia sic statuitur in cit. Constat. Gregorij §. 5. tum quia iudicium de LL. Ecclesiasticis pertinet ad Judices Ecclesiasticos: tum quia causa Immunitatis, ob reverentiam

locorum sacrorum introductæ, est Ecclesiastica, ac causis spiritualibus connexa; sicque à solo Judice Ecclesiastico cognoscenda cap. determinimus 2. cap. quanto 3. de Judiciis, cap. si Judex 12. de Sententia excommunicationis in 6.

106 **Nec obstat I.** quod aliqui dicant, Ecclesiasticos Judices propterea non posse judicare in causa Immunitatis: quia est causa propria Ecclesiasticorum. Nam præterquam, quod idem argumentum non sine absurdo moveri posset de omnibus causis Ecclesiasticis; falsum est in presenti, causam Immunitatis esse propriam Ecclesiasticorum: quippe cum personæ Ecclesiasticae non commodi vel utilitatis, sed potius multum incommodi, dolis & molestiæ sustineant, quando reos delinquentes ad asyllum recipere, & sæpè per tempus longum retinere & alere tenentur.

107 **Nec obstat II.** quod utriusque Curiae, Ecclesiasticae & Secularis, intersit scire, num crimen, quod commisit reus, ad asyllum receptus, sit exceptum, nec ne? Ex hac enim non sequitur, ad utramque Curiam æqualiter spectare judicaturam; sed sufficit, si Curiae Seculari pro sua informatione concedatur privata quaedam discussio criminis, ultimata tamen decisio expectetur à Curia Ecclesiastica, sicut in crimine heresis solet accidere.

108 **Resp. III.** pendente lite super discussione criminis excepti teneri Rectores locorum, in quo versantur rei, ad requisitionem Magistratus Secularis ipsos bene custodire, vel incarcerare: cæteroque à Potestate Seculari custodiri, incarcerari, vel etiam extrahi possunt, velut in sæpe cit. Constat. Greg. §. 5. habetur. Antequam verò requisiti sint rei à Judice

Seculari, possunt Rectores locorum Immunitatis reis exponere dubium vel certitudinem de crimine excepto, eisque fugam suadere & procurare. Reiffenstuel d. t. n. 189.

Resp. IV. Magistratum Secularem posse extra Ecclesiam apponere custodiam, ne reus delinquens elabi & aufugere queat, velut communis sententia docet cum Haunold cit. supra num. 145. Sic enim vis aut irreverentia nulla inferitur loco sacro, sed tantum in loco profano id observatur, quod bono publico tuendo infervit.

Dubitatur V. quid faciendum sit, si reus ex asylo injustè fuerit extractus?

Resp. extractum denuò restituendum esse loco, à quo fuit extractus. Text. in cap. sicut antiquius 6. cap. miror. 8. XVII. q. 4. Ratio petitur ex cap. item cum 6. & seq. & passim de Restitutione spoliatorum, ubi pro regula habetur, spoliatum quemcumque ante omnia restituendum esse. Si tamen rei & Ecclesiae, unde extractus est facta, specialiter non intersit, restitutionem alii loco, quod asylo potitur, fieri posse ex Farinaceo, Haunold, & aliis tradit Wiestner d. t. n. 148. eò quod privilegium Immunitatis sit commune, nec uni Ecclesiae magis quam alteri concessum. Ad reclamant Pignatellus

tom. 1. consult. 172. an. 4. & Barbosa f. E. U. cap. 3. num. 54. lib. 2. ac varias declarationes Cardinalium contra priorem sententiam referunt; addentes rationem: quod utique cætera jura & prerogativa, Ecclesiae concessa, nequeant uni Ecclesiae auferri, & alteri adici; velut patet in bonis temporalibus & similibus juribus, quæ, si semel alicui Ecclesiae in singulari sint collata, non possunt regulariter aliis Ecclesiis communicari.

§. VII.

Quanam Poenae sint decretæ contra Violatores Immunitatis Localis?

113 **N**E Immunitas Localis temerariò ejusdem auctu violetur, contra violatores graviter insurgunt Jura, ac I. violationem Immunitatis pro atrocissimo sacrilegio habent cap. reum 9. cap. nullus 19. & seq. XVII. quaest. 4. II. illam æquiparant crimini Laesæ Majestatis l. fidei 2. Cod. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt. III. jubent violatorem Immunitatis ultimò supplicio plecti. l. praesenti 6. in pr. Cod. eodem. IV. dicunt multam pecuniariam 900. solidorum cap. si quis 20. ead. q. 4. vel 300. librarum auri purissimi cap. si quis 21. ead. q. 4. V. poenitentiam publicam imperant d. cap. si quis 20. & cap. nullus 19. ead. q. 4. VI. poenam excommunicationis infligunt, quæ juxta cap. sicut antiquius 6. cap. frater 10. cap. definitum 35. cap. ita constitutum 36. d. q. est ferenda; sed juxta Constat. Gregorij §. 8. est lata sententia: cum ibi dicatur, poenas, de Jure in violatores Immunitatis statutas, ipsò factò incurri. P. Wiestner d. t. n. 179.

114 **Hæcque ultima excommunicationis poena** hodie in usu & observantia est, ac extenditur I. ad illos, qui extra casus exceptos reum

in loco asyli capiunt, incarcerant, aut omnino extrahunt. II. ad illos, qui reum in loco asyli capere, incarcerare, vel extrahere solum tentaverint. III. ad illos, qui ingressi sunt locum asyli eò animò, ut simile quid facerent. IV. ad eos, qui, ut talia fiant, mandatum dederunt; prout ista partim ex dictis per decursum, partim ex repetita Bulla Gregorij, partim ex l. fidei 2. & l. praesenti 6. Cod. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt, manifesta sunt, & docet in specie Reiffenstuel ad d. t. num. 216. & seq. Quod si Judex Ecclesiasticus contra violatores Immunitatis sententiam declaratoriam excommunicationis tulerit, non permittitur appellatio, etiam cum effectu devolutivo, nisi prius Ecclesiae suus honor per restitutionem rei, si forte extractus fuerit ex asylo, reparatur, velut ex declaratione Cardinalium docet Pignatellus tom. 2. consultat. 60. n. 26.

An hæc excommunicatio Summo Pontifici quoad abolitionem sit reservata? Pro & contra disputatur. Negativam defendunt Zypaxus in Analysi d. t. n. 13. & multi, quos citat, eorumque sententiam probabilem dicit P. Wiest-